



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. cxv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Ex eodem cap. 4. **S**Tatutum est ab episcopis, de presbyteris qui fornicant secum indiscretè habitare permittunt, & propter hoc malæ opinionis suspitione denorantur, & si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores factorum canonum canonica inuestione feriantur.

Ex cõcil. Agatēsi cap. 3. **I**D etiam ad custodiendam vitam & famam speciali ordinatione præcipimus, vt nullus clericorum extraneæ mulieri qualibet consolatione aut familiaritate coniungatur, & non solum in domum illius extraneæ mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi extraneam mulierem habeat potestatem, sed cum matre tantum & sorore & nepote, si habuerit aut voluerit, viuendi liberam habeat potestatem, de quibus nominibus nefas est aliud quam natura constituit suspicari.

Vt ancilla à cellario presbyterorum remoueantur.

Ex cõcil. Remēsi, cap. 3. **A**Ncillas vel libertas à cellario vel à secreto ministerio, & ab eadem mansione in qua clericus manet placuit remoueri.

Quòd diaconi, sicut episcopus & presbyter, cessare debeant ab opere coniugali. Cap. CXIII.

Ex epist. Leon. pa. cap. 17. **L**Ex continentia eadem est altaris ministris, quæ episcopis atque presbyteris. Qui cum essent laici, siue lectiores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt, sed cum ad prædictos peruenerint gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Vnde, vt de carnali fiat spiritale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant sic habere, quo & salua sit charitas connubiorum, & cessent opera nuptiarum.

Ex cõcil. Turonic. cap. 6. **E**T quia diabolo nullum locum dare oportet, hoc præcipuè custodiendum decreuimus, vt nulli clerici cum extraneis fœminis habeant familiaritatem, nec vllum malè loquendi vel sentiendi hominibus aditum tribuât, quia fre-

quenter per hanc indecentē occasionem contingit, vt diabolus qui insidiatur sicut leo in cubili suo, de ruinis seruorū Dei insultet. Si quis verò clericus post interdictum episcopi sui his imhære præsumpserit, à communione habeatur alienus.

De eadem re. Cap. CXVI.

Inhibendū & modis omnibus interminandū est, vt nullus sacerdos eas personas fœminarum, sicut & in canone infertum continetur, de quibus suspicio esse potest, in domo sua habeat, sed neq; illas quas canones concedunt, matrem, amitam, sororem: quia instigante diabolo, etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam impedisse quasillarum. Sed si quis de his habuerit talem necessitatem patientem, cui sit necessitas sustentatio presbyteri, habeat in vico aut in villa domū longè à presbyteri cōuersatione, & ibi eis subministret quæ necessaria sunt. Sed hoc secundum autoritatem canonum modis omnibus prohibendum, vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut presbytero ministrare, aut infra cancellos stare aut sedere.

*Ex cōcil.
Hanne-
tensi,
cap. 10.*

De incontinentibus. Cap. CXVII.

De presbyteris & diaconibus diuinarum legum est disciplina, vt inter incontinentes in officiis talibus positi, omni honore ecclesiastico priuentur, nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri.

*Ex cano.
apostolo.
cap. 22.*

De ordinatis quod cum mulieribus coire nō debeant.

Cap. CXVIII.

Preterea quod dignum & pudicum & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, vt sacerdotes & Leuitæ, cum mulieribus non coeant: quia ministerij quotidianis necessitatibus occupantur. Scriptum est: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum dominus Deus vester.

Ex eodē.

De ordinatis si vsuras exercuerint.

Caput CXIX.

Episcopus, presbyter, aut diaconus vsuras à debitori- bus exigens, aut desinat, aut certè damnetur.

Ex eodē.